



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

4 Vtrum sacramentum sit semper aliqua res sensibilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

in disputatione sequenti dicturi sumus. Nec multum ab eadem definitione differt ea, quae habetur in Catechismo Pij V. Sacramentum est inuisibilis gratiae visibile signum, ad nostram iustificationem institutum: tamen haec definitio, ut ex verbis eius constat, non solum definit sacramentum, ut signum, sed etiam, ut causam gratiae. Vnde non conuenit sacramento ut sic, sed ut sacramento nouae legis: & hoc modo est satis apta, definitio, praesertim prout ultimis verbis proposita est, nam priores definitiones paulo sunt longiores, quam expediat, & particulas continent, vel obscuras, vel non omnino necessarias, qualis est illa, quod sacramentum significare debet ex similitudine, quae omnibus quidem sacramentis conuenit, quae de facto instituta sunt: & quae uis non sit simpliciter necessaria, tamen ex quadam congruitate, & sapienter institutione, semper obseruatur, & ideo non oportet eam distincte in definitione explicare: quia eo modo, quo requisita est: in ipsa diuina institutione uirtute continetur. Secunda est D. Thom. haec. Sacramentum est signum rei sacrae quae sumptit ex Aug. 10. de Ciui. Dei. e. 5. quamquam Aug. ibi generalius nomine sacramenti utatur, ut sacrificium etiam comprehendat, cui etiam definitionem illam accommodat: eadem uero definitio reperitur apud Hugonem supra, & Bernard. scdm. de Coena Domini, eamque multi ex scriptoribus supra citatis libenter amplectuntur propter illius breuitatem, tamen propter eandem causam non potuit non esse subobscura. Vnde, ut conuertatur cum definito nonnulla, vel explicare, vel subintelligere necesse est, & in primis D. Thom. addidit illam particulam, seu determinationem, rei sacrae, quatenus sanctificat homines, ut intelligeremus, non satis esse ad rationem sacramenti, ut significet quamcunque rem sacram, sed oportere ut significet hominis sanctificationem, quae fit per gratiam, & causas eius: de hac enim significatione D. Thom. loquitur. Rursus iuxta ea, quae diximus, subintelligendum est, hoc signum tale esse debere, ut aliquam homini sanctificationem conferat, nam ostensum est, hoc esse de ratione sacramenti. Vnde exponendo definitionem illam posset clarius dici, Sacramentum est signum sensibile ad sanctificationem aliquam conferendam, & ueram animae sanctitatem significandam institutum. Vel (si more Aristotelico definire uelimus) dicere possumus. Sacramentum est sacra, ac sensibilis ceremonia, homines aliquo modo sanctificans, & ueram animae sanctitatem ex institutione significans. Quae definitiones, ex supradictis satis clarae sunt, & probari facile possunt, quia, & conueniunt omnibus sacramentis, & habet omnes particulas sufficientes ad excludenda omnia signa sacra, quae sacramenta non sunt, qualia sunt sacrificium, usus aquae benedictae & similia, de quibus, iam diximus. Porro praedicta definitio facile potest ad sacramenta nouae legis coarctari, addendo, huiusmodi sacramentum significare ueram animae sanctitatem, quam conferat, seu quatenus ab ipso confertur, & ex parte rei ad significandum imposita potest addi, debere constare materia & forma, seu rebus, & uerbis, de quo iam dicemus. Denique seruata proportione facile potest contrahi illa definitio, ad sacramenta ueteris legis, addendo fuisse instituta ad conferendum legalei sanctitatem, per quam uera sanctitas per Christum conferenda significabatur: quae tamen definitio non uideretur competere circumcissioni, quae antiquior fuit, quam sacramenta ueteris legis, neque etiam sacramento legis naturae: sed in hoc inculcatur grauis difficultas infra tractanda, quae explicata facile erit, definitionem his etiam sacramentis accommodare: fuerunt enim illa quasi media inter sacramenta nouae legis, & propria sacramentalia legalia, quia nec conferebant gratiam propria uirtute: unde non significabant gratiam a se collatam, sicut nostra sacramenta: nec so-

D. Thom.
D. August.

Bern.

Propria definitio.

Quomodo praedicta definitio no-
stris sacramentis aptetur.

lum significabant gratiam ut futuram, seu promissam sed et indicabant praesentem, quae in ipsis dabatur.

ARTICVLVS IV.

Utrum sacramentum sit semper aliqua res sensibilis.

AD quartum, sic proceditur. Videtur, quod sacramentum non semper sit aliqua res sensibilis. Quia secundum Philosophum in lib. Priorum omnis effectus, sua causa signum est. Sed sicut sunt quidam effectus sensibiles, ita etiam sunt quidam effectus intelligibiles, sicut scientia est effectus demonstrationis. Ergo non omne signum est sensibile. Sufficit autem ad rationem sacramenti, quod sit signum alicuius rei sacrae, in quantum per eam homo sanctificatur, ut dictum est. Non ergo requiritur ad sacramentum, quod sit aliqua res sensibilis.

2. Praeterea. Sacramenta pertinent ad cultum vel regnum Dei. Sed res sensibiles non uidentur pertinere ad cultum Dei. Dicitur enim Ioan. 4. Spiritus est Deus & eos qui adorant eum, in Spiritu & ueritate oportet adorare. Et Rom. 1. 4. Non est regnum Dei, esca & potus. Ergo res sensibiles non requiruntur ad sacramentum.

3. Praeterea, August. * dicit in li. de Libero arbitrio quod res sensibiles sunt minima bona, sine quibus homo recte uiuere potest. Sed sacramenta sunt de necessitate salutis humana (ut infra patebit) & ita sine eis homo recte uiuere non potest. Non ergo res sensibiles requiruntur ad sacramenta.

Sed contra est, quod August. * dicit super Ioan. Tract. 20. id uerbum ad elementum, & sit sacramentum. Et loquitur ibi, de elemento sensibili, quod est aqua. Ergo res sensibiles requiruntur ad sacramenta.

Respondeo dicendum, quod sapientia diuina uincit, res prosidet secundum suum modum, & propter hoc dicitur Sapient. 8. quod suauiter disponit omnia. Vnde & Matth. 25. dicitur, quod dedit uincit, secundum propriam uirtutem. Est autem homini conaturalis, ut per sensibilia perueniat in cognitionem intelligibilem. Signum autem est per quod aliquis deuenit in cognitionem alterius. Vnde cum res sacrae, quae per sacramenta significantur, sint quaedam spiritalia & intelligibilia bona, quibus homo sanctificatur, consequens est, ut per aliquas res sensibiles significatio sacramenti impleatur, sicut etiam per similitudinem sensibilibus rerum in diuina Scriptura res spirituales nobis describuntur. Et inde est, quod ad sacramenta requiruntur res sensibiles: ut etiam Dionys. * probat in i. cap. Caest. Hierar.

Ad primum ergo dicendum, quod uinum quodque, praecipue denominatur & definitur secundum id quod conuenit ei primo & per se, non autem secundum id quod conuenit ei per aliud. Effectus autem sensibilis, per se habet, quod ducat in cognitionem alterius quasi primo & per se homini innotescens, quia omnis nostra cognitio a sensu oritur: effectus autem intelligibiles non habent, quod possunt ducere in cognitionem alterius, nisi in quantum sunt per aliud manifestati, id est, per aliqua sensibilia. Et inde est, quod primo & principaliter dicuntur signa, quae sensibus offeruntur: sicut, ut dicitur in 2. de Doctrina Christiana, ubi dicit, quod signum est, quod praeter speciem, quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire. Effectus autem intelligibiles non habent rationem signi, nisi secundum quod sunt manifestati per aliqua signa. Et per hunc etiam modum, quaedam quae non sunt sensibilia, dicuntur quodammodo sacramenta, in quantum sunt significata per aliqua sensibilia, de quibus infra agetur.

Ad secundum dicendum, quod res sensibiles, ut in sua natura considerantur non pertinent ad cultum vel ad regnum Dei, sed solum secundum quod sunt signa spiritualium rerum, in quibus regnum Dei consistit.

Ad tertium dicendum, quod Aug. ibi * loquitur de rebus sensibilibus, secundum quod sunt in sua natura, non autem in argum. secundum

4. d. 1. q. 1. art. 1. q. 1. & art. 2. q. 1. & art. 3. cor. Et 4. contra c. 56. Ioan. 3. 21. cor 4. Art. 2. huius quaest.

Lib. 1. c. 133. tom. 11. Quaes. 611

Tract. 20. id Euang. Ibi post med. col. 9.

Cap. 2. in 1. mod. & si

Lib. 2. de Doctr. Christiana. circa ca. principia lib. tom. 3.

Quaes. 611 art. 6. ad 2.

Ecce citat id argum. 3.

secundum quod assumuntur ad significandum spiritualia, que sunt maxima bona.

COMMENTARIUS.

Duplex sensus questionis. **D** Vobis modis potest res sensibilis accipi in quaestione hoc articulo proposita. Primo ut significet quamecumque rem, que sensibus percipi potest: & hoc modo etiam verba sunt res sensibiles: & in hoc sensu tractata est a nobis haec quaestio disputatione praecedenti sectione 3. & eundem videntur praeferre omnia argumenta, quae D. Tho. obiicit, quorum solutiones faciles sunt. Et difficultas, quae tangitur in solutione ad 1. An sacramentum esse possit signum spirituale in praedicto loco explicata est. Secundus sensus est, ut res sensibilis a verbis distingatur, & significet rem aliquam permanentem corpoream, quae sensibus percipi possit, qualis est aqua, oleum, & similes, quam Hugo paulo antea citatus nomine elementi significavit, & sumpsit ex Augusti tractatu 80. in Ioan. dicente. Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum, quae verba retulit hic

Hugo August.

D. Th. in argumento, sed contra, Ex quo non obscurat constat hunc posterioriorem sensum esse a D. Th. intentum, quem magis ipse explicavit infra art. 6. ubi specialiter inquit. In praeter requisitantur verba: & ibi ad 2. declarat, nomine rei sensibilis, non tantum intelligi rem ipsam permanentem, sed vel illam, vel usum eius, qualis est ablutio, victus, &c. In hoc ergo sensu respondet, sacramentum debere consisti in aliqua re sensibili: quam assertionem egregie probat ex naturali modo & accommodato homini, qui intelligit illa per sensibilia intelligit. Quae quidem ratio in superioribus est ex Patribus confirmata, & explicata, & quia generalis est, in omni tempore & statu humanae naturae, quamdiu homo est in via, ideo assertio posita in omnibus sacramentis cuiuscumque legis & status locum habet. Solum posset dubitari, quia praedicta ratio solum videtur procedere in priori sensu: quia humana cognitio, non solum ex rebus, sed etiam ex verbis sensibilibus accipi potest. Respondetur verum esse, rationem D. Thomae non probate necessitate simpliciter, sed congruitatem, quae non solum in hoc consistit, quod humana cognitio incipit a sensu, ut obiectio sumit: sed in hoc etiam, quod intelligibilia commode intelligantur a nobis per analogiam & proportionem ad sensibilia, & quatenus in eis aliquo modo representantur: haec autem representatio, non fit proprie per verba, sed per actiones aliquas, vel res sensibiles, in quibus sit quaedam imago, vel vestigium potius intelligibile: quod recte declarat D. Tho. exemplo sumpto ex usu divinae Scripturae, in qua res divinae non solum traduntur verbis, sed rebus etiam sensibilibus representantur, vel in prophetis visionibus, vel in parabolis & metaphoricis locutionibus, vel certe in variis figuris, quarum pars quaedam in usu sacramentorum consistit.

ARTICVLVS V.

Verum requirantur determinatae res ad sacramenta.

Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod non requirantur determinatae res ad sacramenta. Res enim sensibiles assumuntur in sacramentis ad significandum, ut dictum est. Sed nihil prohibet diversis rebus sensibilibus idem significari, sicut in sacra Scriptura Deus aliquando metaphorice significatur per lapidem, quandoque per leonem, quandoque per solem, aut aliquid aliud huiusmodi. Ergo videtur, quod diversae res possint congruere eidem sacramento. Non ergo determinatae res in sacramentis requiruntur.

2. Praeterea, magis est necessaria salus animae, quam salus corporis: Sed in medicinis corporalibus, quae ad salutem

Franc. Suarez Tom. 3.

corporis ordinantur, potest una res pro alia poni in eius defectu. Ergo multo magis in sacramentis, quae sunt medicinae spirituales ad salutem animae ordinatae, poterit una res assumi pro alia, quando illa defuerit.

3. Praeterea, Non est conueniens ut hominis salus ardeatur per legem diuinam, & praecipue per legem Christi, qui venit omnes saluare: Sed in statu legis naturae non requirebantur in sacramentis aliquae res determinatae, sed ex voto assumebantur, ut patet Genes. 28. ubi Iacob. venit se Deo decimas & hostias pacificas oblaturum. Ergo videtur, quod non debuerit arctari homo, & praecipue in noua lege, ad aliquas res determinatas usum in sacramentis.

Sed contra est, quod Dominus dicit Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

Respondeo dicendum, quod in usu sacramentorum duo possunt considerari, scilicet cultus diuinus, & sanctificatio hominis. Quorum primum pertinet ad hominem per comparationem ad Deum, secundum autem e conuerso pertinet ad Deum per comparationem ad hominem. Non autem pertinet ad aliquem determinare illud, quod est in potestate alterius, sed solum id, quod est in sua potestate. Quia ergo sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo iudicio assumere res, quibus sanctificatur, sed hoc debet esse ex diuina institutione determinatum. Et ideo in sacramentis noua legis, quibus homines sanctificantur (secundum illud 1. ad Cor. 6. Ablui estis, sanctificati estis) oportet ut res e& diuina institutione determinatae.

Ad primum ergo dicendum, quod est idem potest per diuersa signa significari, determinare tamen, quo signo sit utendum ad significandum, pertinet ad significatum. Deus autem est, qui nobis significat spiritualia per res sensibiles in sacramentis, & per verba similitudinaria in scripturis. Et ideo sicut iudicio Spiritus sancti determinatum est, quibus similitudinibus in certis scripturae locis res spirituales significentur, ita etiam debet esse diuina institutione determinatum, quae res ad significandum assumantur, in hoc vel in illo sacramento.

Ad secundum dicendum, quod res sensibiles habent naturaliter sibi inditas virtutes conferentes ad corporalem salutem, & ideo non refert, si duae earum eandem virtutem habeant, quae quis utatur. Sed ad sanctificationem non ordinantur, ex aliqua virtute sibi naturaliter indita, sed solum ex institutione diuina, & ideo oportet diuinitus determinari quibus rebus sensibilibus sit in sacramentis utendum.

Ad tertium dicendum, quod sicut Aug. dicit 19. contra Lib. 9. c. 16. Facillimum, diuersa sacramenta diuersis temporibus, congruunt. Et 17. tom. 6. sic etiam diuersis verbis significatur diuersa tempora, scilicet praesens, praeteritum, & futurum. Et ideo sicut in statu legis naturae homines nulla lege exterius data, sed solo interiori instinctu mouebantur ad Deum colendum, ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur. Postmodum vero necesse fuit etiam exterius legem dari, tum propter obscuritatem legis naturae, ex peccatis hominum, tum etiam ad expressiorem significationem gratiae Christi, per quam humanum genus sanctificatur. Et ideo etiam necesse fuit res determinari, quibus homines uterentur in sacramentis. Nec propter hoc arctatur via salutis, quia res quarum usus est necessarius in sacramentis, vel communiter habentur, vel paruo studio adhiberi possunt.

COMMENTARIUS.

Duplex potest esse sensus huius quaestionis. Prior, ut haec necessitas intelligatur consequens institutionem. Posterior, ut intelligatur antea dicens. Priori modo quaestio est, an facta institutione sacramenti, necessaria sit res determinata, ut sacramentum

B 2